



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Quæ ad bonum & fidelem seruum Christi pertineant: & cur Sancti se
permiserint honorari, quum adhuc in terris agerent, Sermo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

IN FESTO D. BERNARDI ABBATIS RE-
quire per omnia sicut in Festo D. Antonij.

IN FESTO S. BARTHOLOMAEI APOSTO-
li, Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo S.
Thomæ Apostoli, Euangelium cum sua Exc-
gesi, & Sermonem quære in Festo S.
Matthiæ Apostoli.

IN FESTO S. AVGVSTINI EPISCOPI, EPI-
stolam cum sua Paraphrasi, & Euangelij exegefin,
quære in Festo S. Nicolai.

SERMO IN EODEM FESTO.

*Qua ad bonum & fidelem seruum Christi pertineant: & cur Sancti se
permiserint honorari, quum adhuc in terris agerent.*

Evge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituiam:
intra in gaudium Domini tui Machzi vigesimo quinto. De beatissimo fra-
tres charissimi, Ecclesie Doctore Augustino isthæc verba commodè Laus cuius-
intelliguntur, qui pro admirabili sanctitate sua in egressu animæ suæ ex hoc nam sola so-
lida sit.
mundo, à Domino & laudari meruit & præmio coronari: non qualicumq;
sed immenso & æterno. Vtrunque sanè gloriosum: commendari ab eo, cuius
vnius probata laus est, & vera semper & sancta ac beata, ac vnicè expectèda.
Hominum laus plerunq; fallax, incerta, adulatoria, quæ neminem effi-
ciat meliorem, sed sæpius multo deteriorem. Porro, Dei laus solida est ac
vera. Itaque vt Hieremias & Apostolus monent, qui gloriari vult, in Do-
mino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed
quem Deus commendat. Ab illo, inquam, commendari gloriosum, ab illo
coronari felicissimum est. Et quia omnes aspiramus ad coronam & præ-
mium & cupimus semper esse in Domini gloria, necesse est primum insit in
nobis bonitas & fidelitas. Siquidem in themate nostro primo loco hæc
virtutes commemorantur: deinde licebit certo sperare coronam. Ita beatif-
simus Augustinus strenuam nauavit operam ad vltimum vsque spiritum,
vt posset se Domino bonum & fidelem seruum exhibere, certus, nisi id ipse
præstaret, non se peruenturum ad gloriam & gaudium Domini sui. Foris: an
ex se scire desideratis, quænam pertineant eo, vt quis sit seruus bonus & fi-
delis. Dicam equidem vobis, vt iam audistis ad seruum diuinitus remune-
randum spectat, vt sit bonus & fidelis. Bonus ergo seruus is est, qui obedi-
ens, qui prudens, siue studiosus aut feruens, qui denique simplex est. Simpli-
citatem intelligi volo columbinam, quæ absque dolo conformat se ad vo-
luntatem Domini, non asininam rudicatem. Primo igitur bonus seruus o-
bediens sit oportet. Nam si non sit obediens, nec serui quidem nomen me-
reatur. Quomodo enim mandata Domini sui, propter quæ exequenda ser-
uus

ZZZ

uus

T. VI
22

Ioann. 3.

1. Theff. 4.
Exod 20.
Leuit. 11.
19 & 20.

Augustini vi-
ta & mores
cuiusmodi.

Seruum bo-
num vt con-
stituat vera
prudentia.

Augustini ze-
lus quantum
fuerit aduer-
sus hereticos
& pro ani-
marum sa-
lute.

Simplicitas
vt constituat
bonu seruu.

Matth. 7.
Luc 6.

Fidelitas
vera qui
probetur.

uus dicitur, perficiet sine obedientia? Frustra nimirum de serui nomine glorietur, qui non seruit, id est, qui non obtemperat. Non est seruus Christi, qui non facit voluntatem Christi. Est tamen seruus. Sed cuius? videlicet Peccati scilicet. Nam qui facit peccatum seruus est peccati. Ergo & diaboli. O malum Dominum habet. Nos ergo Christi serui sumus, si voluntati eius morem gerimus. Voluntatem eius omnes nouimus, tot concionibus influcti, tot exhortationibus eruditi, tot sanctorum exemplis imbuti, vt cetera taceam, ex quibus eius nobis voluntas innouescit. Breuiter quidem Apollolus: *Voluntas*, inquit, *Dei haec est, sancti seratio vestra*. Ideo toties habet lex Moysi: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester*. Obedientiam sancti Augustini (libenter enim nobis exempla sanctorum proponimus, vt illos velitis imitari) probat eius vigilantia in mandatis Dei. Sibi fuit austerus, alijs misericors, in vigilijs multis, in abstinentijs, in precibus & contemplationibus, ac diuinis lectionibus assidujs, & ceteris carnis castigationibus, quibus corpus suum macerauit, vt illud subigeret spiritui, ne quod in ipso maneret, quod Deo non obediret. Nihil terrenum amauit, sed omnia sua largissime distribuit pro Christi amore. Vnde etiam de illo canit Ecclesia, quod testamentum non fecerit, quia pauper Christi vade iaret non habuerit. O diues paupertas, quae tanto in Deo fuit locupletior, quanto minus habuit facultatum temporalium. Secundo, ad bonum seruum pertinet, vt sit prudens, vt nouerit auertere incommoda, & conuolueret rebus Domini sui: vt etiam studiose se gerat, ne quid sui officij praetermittat, nec aliquid pereat de rebus domini sui. Hac in parte quam se strenuum praebuerit sanctissimus Doctor Augustinus si dicere velim, superfluum & importunus videbor. Nam vel sola scripta eius id abunde declarant. Quantum ille operae ac studij adhibuit animabus lucrandis: quantum illi aduersus hereticos animarum peremptores certamen fuit, adeo vt dicerent impunè posse occidi Augustinum. Erat enim acerrimus illorum persecutor. Tertio, etiam hoc exigit serui boni officium, vt sit simplex, id est, non tam verba, quam mentem & voluntatem Domini sui respiciat & exequatur, sitque simpliciter obediens, non fallax, non subdoluus, sed sine discussione, sine murmure. Ita & sanctus Augustinus nullis fraudibus nullis tationibus diaboli, nullis vexationibus hominum, praecipue haeticorum, quos infestissimos perculit, a sectanda Christi voluntate potuit reuocari vel abstrahi. Non secundum exteriorem literae coram, sed perfectè Domini praepcepta exequutus est: nec contentus fuit sola externa exhibitione, id est, verbo & lingua amare, sed opere & veritate, non contentum à quibus amabatur, sed etiam quibus erat contemptus, vt sic perfectius morem gereret Christo iubenti, quo pro malis bona reddamus. Et haec quidem de ijs, quae ad bonum exiguntur seruum, dixisse satis sit.

Dicendum etiam paucis est, vt quis debeat esse fidelis. Plane seruus esse bonus non potest, quantumuis seruet mandata Domini sui, nisi sit etiam fidelis. Est autem fidelis, qui in eo quod facit, non seipsum spectat, id est, non commodum, non voluntatem, non pacem, non quietem, non honorem suum, sed Domini sui. Id nos omnino curare decet, adeo vt nemo ex bona obedientia sua, nemo ex quibuslibet Dei donis, nemo ex virtutibus

bus animo intumescat, aut in seipso acquiescat placens sibi: sed cuncta Deo ascribat, & in Deum refundat, illi, non sibi honorem optet impendi. Porro, si quis propter quædam Dei dona, vel virtutes aut cætera eiusmodi sibi ipsi placet, non est fidelis Deo: quandoquidem quæ Dei sunt, sibi tribuit. Quomodo inquis? Quia gloriatur in alienis, nempe in illis quæ Dei sunt, tanquam in proprijs. At si quis apud me deponat pecuniam brevi repetiturus, qua tandem ratione possim in aliena pecunia gloriari, cum certus sim esse alienam, & paulo post repetendam, etiam cum periculo meo, si non bona fide servauero? Ita nimirum si quis ob Dei dona complacet sibi, aut aliquo se in precio habet, fallitur & est Domino infidelis, quæ illius sunt sibi vendicans. Nisi enim sibi ea usurparet, non inde placeret sibi. Quod si etiam ab alijs propterea commendari aut reputari velit, iam deterius fur est, quia quod Dei est, id est, gloriam soli Deo debitam furatur, atque inde laudari cupit. Solent quidem homines eos quos bonos esse iudicant honore afficere ac venerari. Iam si placeat eis honor impensus, aut illum ambiunt, desinunt esse boni, quia sunt Deo infideles: siquidem in eo sese quærun & spectant, quod non pertinet ad ipsos. Ergo fugiendi sunt honores, & si quid habemus unde possimus laudari, occultandum est ne perdamus. Sin verò nobis occultantibus, & in occulto esse appetentibus absque nostra opera propalamur, honor oblatu humiliter contemnendus est, id est, non trahendus ad cor, sed in Deum referendus. Ita sancti magnis sæpe honoribus honorati imo onerati sunt, quia non placuit eis, & tamen ob aliorum ædificationem sustinuerunt, & in Deum retulerunt eiusmodi honores:

Sunt autem duæ causæ, quare sancti se honorari tolerarunt, licet quandoque maximi eis honores haberentur. Prima est, quod quantum ad ipsos attinebat, se inde non solum non extolli, sed etiam cruciari sentiret: simul etiam intelligerent non suam honorari personam, sed gratiam Dei in ipsis: atque ita honores exhibitos non usurpabant sed corde ad Deum referebant, ipsi interim proprijs in oculis viles permanentes. Non decuisset autem Deum priuari honore suo, nec pios fraudari deuotione sua ac merito, quod sibi pararunt sanctos venerando. Itaque purè propter Deum passi sunt sancti etiamnum mortales sibi honorem haberi. Celeberrimum erat nomen D. Augustini, tum ob eximiam vitæ sanctitatem, tum ob incomparabilem eruditionem, & miris vehebatur præconijs, atque multis affectus honoribus. Verum inter omnia hæc semper humilimus persistit. Admisit tacem propter Deum non propter se, ut pij ob suam deuotionem, quam sicut ad Dei hominè habebant, & qua Christum in ipso venerabantur, à Deo remunerarentur. Propter honorem & amorem Dei didicit & honorari & contemni: utrobique idem perseverans, nec honoribus elatus, nec fractus contumeliji. Vbi autem honor ille, nihil honoris Deo attulisset, non admisisset utique. Si sui contemptus cessisset ad honorem Dei, contemni maluisset. O quoties ille fugit loca & hominum aspectus, vbi se metuere honorem affectum iri. Altera causa, cur sancti se sinant honorari, est hæc, quod præfertim si alijs præsent, maior illis inde accedat auctoritas libentiusque audiantur, siquæ maiorem faciant fructum sui reuerentia quam contem-

For mysticè
vri quis fiat.
1. Tim. 1.

Bona si quæ
habentur ut
sint occultanda.

Honorari cur
se permitte-
runt sancti
quidam.

Augustini hu-
militas quæ
ta fuerit.

Prælati hono-
rem sibi ex-
hiberunt quo
referre debe-
ant.

T. VI
22

ptu: id quē nihilominus totum propter Deum. Sed his obiter dictis, ad id vnde non nihil defleximus redeamus. Iam ante audistis, fidelem esse seruum, qui seipsum non spectet. Potest autem secundo fidelis seruus dici, qui nihil negligit quantumlibet paruum, quin aliquid inde studeat lucrum elicere domini sui. Quod certē vel eo ipso perspicue potest aduerti in sanctis, quod etiam leuia errata, quæ alij pro nihilo ducunt, haud secus plangent, quam nos graua peccata. Qua in re quam fidelis fuerit beatissimus pater Augustinus, si cui nosse liber, legat eius Confessionum libros, & quanto peccatiam minimas accusarit culpas, inde intelliget: nec id fecit anili superfluitate, vt fortē insani & deliri quidam calumniari possint, sed nimia animi puritate, & ingenti erga Deum amore ac fidelitate. Verum, vt ex iam dictis etiam aliquid ad nostri maiorem ædificationem trahamus, danda nobis opera est dilectissimi, vt si sacratissimum Dei Pontificem Augustinum ad Domini gaudia sequi cupimus, etiam nos per bonitatis & fidelitatis itinera gradiamur. Curandum nobis summopere est, sicut & sanctis hæc præcipua semper cura fuit, vt boni simus, atque in hoc ipso Deo fideles simus, id est, non nostrum commodum, non nostram laudem aut honorem, sed illius gloriam ac beneplacitum spectemus. Si homines sanctissimi & maximè clari virtutibus ac virtutum signis honorem sibi deferri noluerunt, nec vquam honorem ambire ausi sunt, qua fronte nos multis obnoxij vitij, quibus non honor sed ignominia debetur, honorem aucupari audebimus? Non ergo intantum Deo simus infideles, vt illi vni debitum honorem nobis vendicemus: sed quicquid boni gerimus, quicquid vel ad superanda & extirpanda vitia, aut virtutes obtinendas operæ impendimus, totum referamus ad honorem Dei. Simus, inquam, fideles Deo ac Domino nostro, vt nullis ex benefactis nostris animo offeramur, tanquā aliquid simus, sed Deo gratiam agnoscamus, Dei benignitatem exosculemur: quia ex illius bonitate in nos proficiscitur, quicquid boni habemus. Boni non erimus, nisi peccata fugiendo, & recte agendo. Nec tamen id sufficit, nisi in his quoque recto animo feramur in Deum, vt nec ob metum supplicij declinemus in malo (quod est seruorum proprium) nec ob mercedis & lucri privati desiderium faciamus bonum, (quod ad mercenarios pertinet) sed verumque pure agamus ob honorem & amorem Dei: quod est peculiare filij bonis, quibus longè dulcius est erga parentes fidem & charitatem declarare, quam aut propria vitare commoda, aut lucra captare cum parentum iniuria. O beatos illos qui quandoquē à Domino audire merebuntur: *Euge serus bone & fidelis, quia super paucos fructus tuis intra gaudium Domini tui.* Audierunt hoc sancti omnes, qui nos præcesserunt, quorum nobis exempla tanquam viua quædam virtutum simulachra propofita sunt, vt vbiunque nos decedere senserimus, ab illis tanquam à quibusdam medicinæ officinis accommodata nostræ infirmitati pharmaca & remedia petamus. Transferunt illi per aquam & ignem, & quandoquē experti sunt eadem, quæ nos modo experimur. Sed Domino eos confortante, superarunt omnia. Et nos igitur in illorum res gestas oculos intendamus, vt illorum exemplis animati, nusquam succumbamus, aut certē si labi contingat, ilico resurgamus. Pulcherrimè hac de re scribit Basilijus ille verè Magnus: *Quemadmodum, inquit,*

Augustini puritas conscientie quanta fuerit.

Honores quanto sunt studiis fugiendi, contemendique.

Boni quoniam fieri possimus.

Math. 25.

Psal. 65.

Basilijus.

inquit, pictores, quum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificium: ita qui sese meditantur omnibus numeris virtutis absolutum redere, veluti simulachra quædam spirantia & astuosa, sanctorum vitas respicere oportet, probaque opera illorum sua imitando facere. Hæc ille. Quod nos dilectissimi ita demum exactè præstabimus, si libenter ac studiose vel ipsi legemus, vel ex alijs discemus facta sanctorum, atque non minori studio illorum ambiemus suffragia, vt suis precibus nobis concilient gratiam Dei, qua freti, possimus fortiter illorum vestigijs ingredi, & eo tandem peruenire, quo ipsi felicissimè pertingere meruerunt gratia & benignitate Seruatoris nostri, cui cum Patre & Spiritu sancto est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Alta sanctorum
quinam
imitari de-
beamus.

IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI IO-
annis Baptiste, Epistolam cum sua Paraphrasi,
quare in Festo sanctorum Fabiani & Se-
bastiani martyrum.

EXEGESIS EVANGELII IN EODEM FESTO.

Marci sexto.

CRudelissimum facinus hodierna die commemorat Ecclesia, quo in gratiam vilissimæ meretricæ neci datus est homo sanctissimus, quo nemo fuit maior inter natos mulierum, qui ob maximam ad Christum Dei Filium propinquitatem, vox verbi appellatur, qui sic vixit in terris, vt vita illius omnibus etiam quantumuis iustis exemplo sit: quem denique ipse Dei Filius tantis extulit encomijs, vt nullum similiter laudasse probetur. Et tamen hic talis & tantus ob fœdissimum adulteræ amorem, & saltatricis puellæ iniquam petitionem capite truncatus est, vt qui nascendo prædicando, baptizando Christi præcursores egerat, ageret etiam moriendo. Videamus ipsam rei gestæ historiam, quam post Matthæum plena fide descripsit Marcus Euangelista in hunc modum:

Matth. 11.

Esaie 40.

Lucæ 9.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Lucæ 7.

Matth. 14.

Misit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.

Herodes iste non est idem, qui infantes occidit nato Salvatore, sed huius filius, nihilo patre scelerator, cuius impia facinora & immanem crudelitatem maluit imitari, quam prophetæ & plus quam prophetæ æquissimam & amantissimam obiurgationem recipere. Vicerat enim eum amor impurus flagitiosæ adulteræ, & dum noluit tartareum æstuantis ignem libidinis extinguere, accidit illi quod in Psalmo de impijs dicitur: *Superccidit ignis, & non viderunt solem.* Non enim potuit lucem veritatis, id est, quid æquum & bonum esset, iusto pendere iudicio, obrutus igni vel potius fumo cœnosæ voluptatis, atque ad apprehendendam iustitiam, & profligandam ini-

Herodes iste
quis fuerit.

Psal. 17.